

CIII.

R. 6 * Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 256. f. maj. caractere crassiusculo, atro, luculento per duas columnas descriptus, literis initiorum auro et coloribus, ceterum minio distinctus *D. Pauli Epistolas* ita exhibet, ut Textus a Commentario multo minutius et compressius exarato circumdatus sit, ut in antiquioribus editionibus Corporum Juris civ. et can. Bibliorumque glossatorum videre est. Prologus inquit: *Principia rerum requirenda sunt prius. ut eorum notitia plenior possit haberi.* Itaque te aut *Ambrosiastrum* illum, qui ad calcem T. II. *Opp. Ambrosii* edit. *Maur. col. 25.* extat, aut *Rab. Mauri* Expositionem in *Paulinas* prae manibus habere putes. Verum sequitur mox: *Si ergo epistolarum scripture post euangelium edite modum et rationem ostenderimus. poterit videri uerum quod dicimus. Sciendum igitur quod sicut in ueteri testamento post legis moysayce eruditionem. ubi culture diuine mandata continebantur, prophetica doctrina fuit necessaria &c.* Hinc *Petrum Lombardum*, ejusque, ut fert inscriptio edit. *Parif. 1547. 8. Collectanea in omnes D. Pauli Apostoli Epistolas; ex DD. Augustino, Ambrosio, Hieronymo &c.* contexta agnoscas, quae in alia antiquissima *Argentinesi Job. Mentelini*, ut videtur, editione f. penna miniata *Glossa ordinaria* praenotantur. Atque e praedictis mox Patribus *Petrum* plurima sua

depromfisse etiam *Codex* noster indicat, nominibus *Aug. Jer. Ambr.* in superiore cujusvis paginae ora conspicuis. Cur vero Noster Translationem suam iisdem sententiis, quibus memoratus *Ambrosiafter*, et post eum *Rabanus*, auspicari voluit? Periculo certe suo, apud eos, qui lectis primis *Codicum* lineis illico de Autore statuere amant. Exemplum nostrum integerimum et sane splendidum in *Epistola ad Hebr.* hisque verbis definit: *Gratia, id est, purgatio peccatorum et alia dei munera sint cum omnibus uobis Amen. Explicit.* E theca membranea, cujus dorso Titulus Operis nunc extritus more *hispanico* per longum decurrebat, suspicor *Codicem* cum Bibliotheca *Cardoniana Palatinae* illatum fuisse.

CIV.

U. 15 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 182. f. eleganter perscriptus et rubricis distinctus complectitur omnes *D. Pauli Epistolas* ita, ut Textus grandiusculus lineis laxis mediam columnam teneat, *Walafridi Strabi Glossa* dicta *ordinaria* utrinque margines occupet, *Anselmi Laudunens.* dicta *interlinearis* Textui superimponatur, ut videre est in Editionibus *Bibliorum glossatorum*, in quibus etiam comparent *Argumenta* illa, quae in *Codice* nostro singulis *Epistolis* praefiguntur. Ita ad Romanos: *Romani sunt in partibus italiae &c.* ubi Noster legit a falsis